

ELEGIA

Ad

Amplissimum Virum,

JOHANNEM BESSERUM,

Sereniss. Electoris Brandenburgici
Confiliarium,

Desideratissimæ Conjugis

CATHAR. ELISABETHÆ

Natæ KUHLEWEINIÆ,


obitum

insolabiliter lugentem,

scripta

à

FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO:



Excudit

COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,

ULRICUS LIEBPERTUS,

Typogr. Elector.



Ula tua funesta deformant limina taxi,
Nuper leta adeò limina visa mihi?
Quæ tibi fors solitum potuit sic frangere robur?
Pectora quis gravior concutit ista dolor?
Artes Pieria, lusus, testudoque sordent,
Nec dilecta tibi Calliopeia placet.

Principis aula tui tibi fastiditur, & ipsis
Pullis, quas gestas, vestibus horror inest.
Non ea lux oculis, non est ea gratia forma,
Quæ, mihi quum nuper conspicerere, fuit.
Scilicet illa tui suavissima portio cordis
Dum perit, amplexu diripiturque tuo;
Conjugii reputas mæstus dispendia vestri,
Ruptaque tam sancti vincla fidemque tori.
Nec tua mens porro sibi sufficit amplius uni,
Linquttur, ac semet non satis ipsa capit;
Succumbitque omnis tantò constantia casu,
Et vires vincit grande doloris onus.
Cruda tibi stagnant plenò stillantia tabò
Vulnera, qua veniens refricat usque dies.
Sola tuos oculos amissa pascit imago
Conjugis, asidua hæc sistitur umbra tibi;
Languidus in cuius mutis complexibus hæres,
Et lacrymis frontem, labra, genasque rigas.
Et modo festinis exprobras crimina Parcis,
Mox de funesta carmina morte canis:
Qualia Meonii restuas ad fluminis undas
Funeris ipsa sui præfica cantat avis:


Qualia

*Qualia Bistonii crudele perosa tyranni
 Hospitium, querulo Daulias ore gemit.
 Et merito, BESSERE, doles tua damna: nec unquam
 Causa fuit luctus justior ulla tibi;
 Quam nunc, dum cineres spectas & tristia busta
 Conjugis, è thalamo quæ modo rapta tuo.
 Si genus in pretio est, & habent natalia laudem,
 Illa fuit clara progenerata domo:
 Edita Lipsiadum antiqua KUHLEWEINIA gente,
 Conspicua patriis fascibus orta Patre,
 Quem dudum æternis inscripsit gloria fastis,
 Gloria non ullis obtenebranda modis.
 Sed quamvis esset tantò sata Consule, magnos
 Ferret ei Titulos & generosus Avus;
 Haud contenta tamen prælustri sanguinis ortu,
 Equavit morum nobilitate genus:
 Moribus & par forma suis respondit in ipsa,
 Egregiisque animi dotibus oris honos.
 Sæpe choros Charitum coisse & Pallada in isto
 Vidimus, exsuperans fœmineumque decus.
 Sideribus similes oculos atque igne micantes
 Vidimus, & niveas purpureasque genas.
 Pectus at inprimis stimulabat cultus honesti,
 Castigatus erat cum gravitate lepos.
 Ornabatque ingens animum prudentia; nullum
 Gaudenti hac Numen nec Venus ulla deest.
 Facta hinc multorum spes invidiosa procorum;
 Blanda tamen thalamum maluit illa tuum.
 Venit in amplexus igitur sperata voluptas,
 Excelso hanc BRENNNO conciliante tibi.
 Quis vestros celebrare ignes, quis gaudia vestri
 Conjugii possit deliciasque loqui?
 Arsistis gemini, gemini certastis amando,
 Dilectique fuit victor uterque sui.
 Non ita formosam incaluit Leander in Hero,
 Non ita demeruit Laodamia virum.
 In majus forsân gesta horum à vatibus aucta;
 Præbuit exemplum vos manifesta fides.*

Premia

Præmia conjugii cepistis dulciter acti,
 Quemque Virum fecit, fecit & illa Patrem.
 At cui bis fuerat facilis Lucina, noverca est
 Perfida jam, & vobis gaudia plura negat;
 Tristi permittit fieri mercede parentem,
 Sed jubet hæc miseram conditione mori.
 Ergo tibi pulchram dum pergit gignere prolem,
 Tertia jamque esset reddita mater, obit.
 Pignora consortis thalami tibi bina relinquens,
 Postremas secum mortua sumit opes;
 De tribus, ediderat quos casta puerpera, fœtum
 Allatura unum religiosa DEO.
 Tu fata hæc, BESSERE, gemis, ceu compare turtur
 Orbatus, sociò vel philomela suo.
 Sed tibi quæ tanto restant solatia casu?
 Sume animos fortes qui deceantque virum.
 Stet tibi mens, stet mole sua, nec porro virili
 Vulnus ale infixum pectore fœmineum.
 Quid juvat æternum tristes cecinisse querelas,
 Et cælo voces opposuisse graves?
 Amplecti haut fas est, quam nunc amplectitur æther,
 Nec semel à cælo rapta reposce tibi.
 Sed geminam spectâ sobolem, lepidamque puellam,
 Inque hæc virtutes Matris habere puta.
 Si lubet, adsuetis Parcas ulciscere Musis,
 Hoc fieri poscit munus ELISA sibi.
 Incipe Defunctæ, Phæbo gratisime Vates,
 Quod potes, æternum conciliare decus.
 Incipe venturis Uxorem tradere seclis:
 Describi haut aliâ gaudeat ipsa manu.





ELEGIUM

Ad

Amplissimum

JOHANNEM BENEDICTUM

Sereniss. Electoris BAVARIAE

Confiliarium

Desideratissima

CATHAR. ELECTORIS

Natae KUHLEN

obitum

insolabiliter lugens

scripta

à

FRIDERICO BENEDICTIO



Excudit

COLONIAE BRANDEBURGICAE

ULRICUS LIEBER

Typogr. ElecTORIS

